



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Symphorosacum VII. FF. MM. 18. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

448 VITÆ SANCTORUM. 18. Iulii.  
alieno orbe videret, cum parentes se or-  
bos, sponsa viduam se lamentaretur,  
cum utrique presentem inclamarent, vi-  
vum lugerent. Spectabat interim ficus  
suorum lacrymas, vivus suas exequias;  
appellabat patrem matremque, nec filius  
audiebat; basiabat servorum suorum ma-  
nus & ab his servilia multa patiebatur,  
jam pugnis contusus, jam sordibus per-  
fusus. Sed demum mors siparium redu-  
xit. Vox etenim humanam major Roma-  
num & Pont. & Imp. ad demortuum ex-  
civit. Ibi ALEXIUM prodiderunt vultus  
astro similis & litera in manibus reper-  
ta, quibus ipse fabulae totius argumen-  
tum descripserat. Et placuisse fabulam  
Caelum ostendit, cum miraculis applau-  
dit, toties plausus repetiturum, quoties  
fabulam juventus. Ex Metaphr.

*Vis obtinere caelum, quod perdidit super-  
biens angelus, qui confusus est in virtute sua,  
& in multitudine divitiarum suarum?  
Paupertatis vilitatem amplectere; & tuum  
erit. S. Bern. serm. I. de Omnib. SS.*

S. SYMPHOROSACUM VII. FF. MM.  
18. Iulii.

**R**eliquit Getulius Mart. post se con-  
jugem SYMPHOROSAM & VII.  
filios. Bonum factum! e tanta familia  
neminem reperias degenerem. Scires  
illam Martyris uxorem, hos filios esse,  
qui

18. *Julii*. VITÆ SANCTORUM. 449  
qui sanguine tincta parentis vestigia for-  
titer insisterent. Ergo Adriano Imp. sisti-  
tur animosa cohors; & ecce mater du-  
cit. Blanditiis, minis, tormentis om-  
nibus pugnatur. Sed vincunt in filiis ma-  
ter, in matre filii, dum ante oculos pa-  
tris volat memoria, & Martem ejus,  
quem fundi viderant, sanguis accendit.  
Cumque mater in præterfluentem cum  
appendice saxo abjicienda esset, *Præes*,  
clamabat, *filiis ad victoriam mater. Si filii*  
*estis, ad patris dexteram & matris sinum*  
*etiam per tela & ignes curretis. Ecce mo-*  
*rior; pulchro mortis heredes quos nisi filios*  
*dicam meos? Iamque valete: ego mulier per*  
*Andasportum peto. Si viri estis, per vulne-*  
*ra viam in cælum animo facietis. Dixit*  
& undis merfa, quò voluit, enatavit. Po-  
firidie fortissima turba iterum produci-  
tur, singulique ad palum ligati statuun-  
tur, quasi verò in hâc pugnâ tyrones &  
non veterani jam essent. Inde *Chrescen-*  
*tius* ferro guttur, *Julianus* pectus, *Primi-*  
*tius* umbilicum, *Nemesius* cor trajicitur,  
& omnes adversa vulnera sibi gratulan-  
tur. Iam *Eugenius* in duas partes, at *In-*  
*stinus*, ut amplius augeter fraternam a-  
ciem, membratim dissecat. Denique  
*Stacteus* omnium telorum stat scopus.  
Neque jam Tyrannus prohibere potuit,  
quò minus fratres secutus ad astra evola-  
ret: pennas tot sagittæ addiderunt. *Ex*  
*Rom. Brev.*

FF

ES

*Est bonorum Adolescentulorum, timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, deligere clementiam ac verecundiam; que ornamenta sunt minoris ætatis. S. Bern. l. de Ord. Vitæ.*

S. ARSENIUS C. 19. Iulii.

**A**RSENIUS bonis artibus & virtutibus juxtà clarus Arcadium & Honorium Theodosii Aug. filios literis imbuendos & pietate accepit: quod muneris tantius Imp. fecit, ut eum non filiorum modo, sed suum etiam parentem dici voluerit. Quid? quòd ubi sedentes pro dignitate stans docuit, interveniens Theodosius stare impostero filios & audire sedentem iussit, timendas imperii secures literatis scholæ fascibus submittens, quos cum in gravius delinquentem Arcadium strinxisset ARSENIUS, necem ille Doctori inferre molitus est, penè Nero ex Arcadio factus. Adeò non jam primùm bonorum Magistrorum didactron odia & insidiæ sunt discipulorum. ARSENIIO interim vox calo hæc accidit: *Fuge, tace, quiesce.* Fugit itaque, sed aulæ servitutem: tacuit Eremitæ discipulus, sed Doctorem Angelum habuit. Hic vana hominum studia illi depinxit primò in Æthiope, qui levando, cui impar erat, oneri, alia atque alia identidem ligna adjiciebat; tum in homine, qui aquas ridiculè cribro hauriebat: demum in duobus, qui cum tigno